



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

11-58

SIGNAT. clvccccxiii.


I. N. J.
ABRAHAM CALOVIUS,

MORUNGA-BORUSSUS,
 SS. THEOL. D. PROF. PUBL. PRIMARIUS,
 CONSISTORII ECCLESIASTICI ADSESSOR
 SENIOR, PASTOR ECCLESIAE PAROCHIALIS, ET ELECTORALIS
 SUPERINTENDENS GENERALIS,
 IN PRÆSENTI

**FACULTATIS THEOLOGICÆ
 DECANUS,**

L. B. ET IN PRIMIS CIVIBUS

ACADEMICIS,
 GRATIAM ET SALUTEM,
 ANIMÆ ET CORPORIS,
 A DOMINO PRECATUR.



WITTENBERGÆ,
 Literis JOHANNIS WILCKII.
 ANNO M DC LXXX.



Erè ἀξιωματικόν, & consideratione dignissimus est Aphorismus Hiero-Psaltis, solennitati JOBELÆÆ præsentis convenientissimus, qui habetur Ps. XXCIX. 16. BEATUS POPULUS, QUI SCIT JUBILATIONEM. Dulcius hæc fluunt in fontibus textus originalis authentici : אשרי העם יורעי תרועה

In quo, addito sequenti memore v. 17. *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt : & in nomine tuo exultabunt totâ die : & in justitia tua exaltabuntur* : tria notanda I. *Credientium designatio* : qui sunt, *populus sciens jubilationem* : II. *Jubilantium beatitudo* : *Beatus populus ille, qui scit jubilationem*. III. *Beatitudinis ratio* : *in lumine vultus facierum, vel personarum tuarum, ambulabunt, Domine* : ò *Sacro-Sancta Trinitas*. In hujus enim visione beatificâ consistit *salus æterna* 1. *Job. III. 2. Et in nomine Tuo, ò CHRISTE, DEUS Homo, exultabunt totâ die* Joh. XVII. 3. Phil. IV. 4. *& in justitiâ tuâ exaltabuntur*. *Germen enim DAVIDIS* justum est *JEHOVAH JUSTITIA NOSTRA* Jer. XXIII. 5. 6. c. XXXIII. 15. 16. *quia in uno Christo est justitia nostra* Rom. III. 21. 22. 25. 26. c. V. 19. c. X. 4. 2. *Cor. V. 21. Phil. III. 9. & salus nostra* Job. III. 16. *Marc. XVI. 16. Act. IV. 12. Rom. X. 9. 10. 13.* *Credentes in hunc Dominum justi sunt, quippe justificati per fidem in Christum* Rom. V. 1. *quibus justitia Christi per fidem imputatur.* Gen. XV. 6. Rom. IV. 3. 5. 6. 2.

6. 2. Cor. V. 21. Phil. III. 9. Ideò sciunt non tantum *theoreticè*, sed *practicè*, (quia verba notitiæ includunt affectum,) & experiuntur, atque sentiunt. (Conf. Psal. XX. 7. 1. Reg. IX. 27.) *jubilationem* (clangorem festivum, ceu Jobeleum Num. X. 10.) & *gaudium in Domino Rom. XIV. 17. Phil. IV. 4.* cantantque Domino JUBILA perpetua; quod jam in regno gratiæ fit, & olim futurum est in regno gloriæ: Quemadmodum vox auditur in cœlo, magni exercitus, dicentium: *Hallelujah, Salus, & laus, honor, & virtus DEO Domino nostro* Ap. XXI. 1. (Conf. v. 6.) & iterum, *Hallelujah. v. 2. Et viginti quatuor Seniores, & quatuor animalia procidunt, & adorant Deum sedentem in secula, & dicunt, Amen, Hallelujah v. 4. Conf. Ap. IV. 10. 11.* Cui geminum resonat jobeleum in Psalmis, *viri secundum cor Dei 1. Sam. XIII. 14. Act. XIII. 22. Qui confirmatus erat de Christo Dei Jacob. 2. Sam. XXIII. 1.* in cantici novi denunciatione *Psal. XCIX. 2. Notum facit Dominus SALUTARE suum:* (Jesum suum Gen. XLIX. 18. Ps. XIV. 7. LIII. 7. Luc. II. 30. Es. XLIX. 5. Ps. LXXII. 28. 17. Zach. IX. 9. 10) *in conspectu gentium revelavit JUSTITIAM SUAM* (Es. XLV. 19. 20. 21. 22. 23. 25.) *Viderunt omnes termini terræ SALUTARE DEI NOSTRI* (Es. XLIX. 5. Luc. II. 30.) *JUBILATE DEO omnis terra: Jubilate in conspectu Regis Domini Ps. xcix. 4. atque iterum Ps. C. 2. JUBILATE DEO omnis terra, servite Domino in letitiâ.*

Porro BEATITUDO jubilantium exprimitur voce, Davidi propriâ, & perpetuâ: *יְשׁוּעָה* BEATITUDINES (sunt vel erunt) *illius populi.* Quales sunt *μακαρισμοί* à Christo de prædicati Matth. v. 3. seq. Conf. Ps. II. 12. Ps. xxxii. 1. 2. (Rom. IV. 7.) Ps. xxxiii. 12. CXLIV. 15. Ps. xxxiv. 9. Beatitudines enim tum animæ, tum corporis, & temporales, & æternæ hac
plurali

plurali voce significantur, tùm hujus, tùm futuri seculi: & quicquid omninò est veræ beatitudinis in hac, & in futura vita; unde rectè observatum R. Kimchio: Beatitudines in plurali poni, quod non unum tantum genus boni, aut prosperitatis ad beatitudinem sufficiat, sed quod bona multa debeant concurrere: vel potius bona omnia, αληθῶς talia.

RATIO deniq; hujus BEATITUDINIS jubilantium, & JOBELÆÆ est, quia credentes ambulant in lumine vultus divini. In Ebræo est plurale: facierum tuarum: quod respicit DIVINAS PERSONAS, in quarum visione beatificâ salus credentium electorum in altera vita consistit; salus, inquam, completa; quemadmodum in fide, seu visione spirituali fidei, salus hujus vitæ, quæ συκερικῶς est incompleta, sita est. Hæc ambulatio secundum B. D. Geierum nostrum includit tùm salutarem DEI agnitionem, tùm ejusdem singularem in Messia favorem, tùm favoris etiam istius intimiorem sensum, nec non decentem usum, ita ut cuncta hominis ambulationes, sive gressus b. e. singula ejus facta, dicta, atq; cogitata, procedant, favente DEO, felicissimè. Totam hanc sententiam eximiè declaravit B. D. Erb. Schneppffius: Beatus populus, qui scit jubilationem. Secundum beneficium, inquit, quod DEUS ostendit per Filium; videlicet pax conscientia, & gaudium. Nam qui justitia Christi præditi, id est, justificati sunt, illi pacem habent apud Deum Rom. V. Hoc dicit hic Propheta. Sed usus est Epiphonemate; O beatum populum! 2. Pacem illam conscientia duobus emphaticis verbis proposuit. Qui scit jubilationem. Pacem conscientiarum, quæ nascitur ex vera fide, vocat jubilationem. Jubilare autem, non est simpliciter lætari, sed toto

A 3

animo

animo letari, & exultare: sicut diva virgo dicit, *se exultare in Domino*: Id metaphoricè vocat *serenum vultum Domini*. Quod & ipsum metaphoricum est, serenus vultus: quia lumen & serenitas quædam oritur in facie ejus, qui aliquem vult protectum & servatum, sicut rursus, quando quis irascitur, quasi tenebræ oboriuntur in facie irati; torvum tueretur. *In lumine*, id est, ò Deus, tu serenissimum tuum vultum in Filio ostendisti. *Nam qui videt Filium, videt & Patrem* Joh. XIV. Simpliciter ita dici potest, Deum per Filium suum nobis ostendere suam clementiam, & exhilarare pace sua conscientias nostras. *Et in justitia tua exaltabuntur*. Tertium bonum est, quod nobis Pater per Filium largitur, nempe GLORIA. Et id egregiè & scitè admodum conjungit cum justitia. *Et in justitia tua*. Nam qui habent justitiam imputativam, fiunt gloriosi. *Quæ est gloria?* Petrus vocat genus electum, regale sacerdotium. Gloria nostra est, quod sumus filii Dei; Observandum autem, quod *pro gloria* ponit *exaltari*. Nam qui gloriosi sunt, illi exaltantur & verbis & tribunali. Ita dicit, *filios Dei exaltari*. B. Dn. D. Nicol. Setneccerus, in Germ. exposit. Psalm. adductis locis parallelis *Es. LXI. 10. Luc. 1. 46. 47. 68. c. II. 29. seqq. censet buccinas Jobelaas Lev. XXV. & annum Jobelaum fidelium*, qui Christum per fidem agnoscunt, & per ipsum pacem conscientiæ habent, Deum propitium, & vitam æternam: atq; inde meritò jubillant, & lætantur in Domino: wenn man Gott Vater/ Christum Jesum den Sohn Gottes/ den H. Geist nennen wird / so wird ihnen das Herz hüpfen/ und für Freuden springen. Quod dicitur, *in nomine tuo: exultabunt quotidie: specialiter ad Filium Dei pertinet*: de quo totus Psalmus canit, cui commentarius Ethanis promissionis Davidi factæ 2. Sam. VII.

VII. siquidem exultatio nulla est, nisi in Christo, ut ab exemplo Patris credentium constat Joh. iix. 56. Phil. iv. 4. *Et in justitia tua exaltabuntur*: quæ itidem nõ est nisi *justitia Christi*; Hæc n. solâ exaltantur & glorificantur fideles. Quò etiam ab itegeſis B. Brentii: *Non erunt beati, seu felices ad tempus tantum, sed exultabunt in nomine tuo, TOTA die: hoc est, semper & perpetuò*. Et in justitia tua exaltabuntur: hoc est, propter tuam justitiam, quâ non imputas eis peccatum, glorificabuntur. Hæc enim est beatitudo, hæc est glorificatio nostra: si non in nomine nostro, sed in nomine Domini: si non in justitia nostra, seu nostrarum virtutum, sed in justitia Domini Dei nostri, quæ est remissio injustitiæ, & exultemus, & gloriemur. Neq; dissonat è Reformatis Joh. Coccejus: *Quum omnia in Christo possideant, nihil tamen sibi & meritis tribuunt, sed omnia Deo donanti, & Christo promerenti, & Spiritui S. applicanti accepta ferunt. Hoc enim est DEI, in quo efferrimur, quod DEUS commendat bonitatem suam, dum nobis peccatoribus omnia largitur tanquam justis; ut jure non meriti, sed viæ gratiæ gratuita omnia habeamus ab ipso exspectanda. De hac vid. Rom. III. 25. 26. Egregie etiam concinit S. Augustinus Paraphrasi T. IIX. p. 979. O beate popule, putas, intelligis jubilationem? Nullo modo beatus es, nisi intelligas jubilationem. Quid est, intelligas jubilationem? Scias, unde gaudeas, quod verbis explicari non possis, Gaudium enim tuum non de te, ut qui gloriantur, in Domino gloriantur. Noli ergo exultare in superbia tua, sed in gratia DEI. Vide ipsam gratiam tantam esse, cui lingua explicanda non sit idonea, & intellexisti jubilationem: Deniq; si intellexisti in gratia jubilationem, ipsius gratiæ audi commendationem. Beatus certè populus sciens jubilationem. Quam jubilationem? Vide si non de gratia, vide si non de DEO, & omnino non de te. Non in sua justitia, sed in Tua Domine. Unde debet jubulare, unde debet exultare, nisi in nomine Tuo, ambulans in lumine vultus tui. Et exultari quidem merebitur, sed in justitia. Auferat de medio justitiam suam, & humilietur: veniat Dei justitia, & ex-*
alt.

*altabitur. Et in iustitia tua exaltabuntur, Addimus etiam succinctam
ἐξήγησην nostram in Commentario Lutherano in S. Biblico Script.*
MS. p. 608. **Wol dem Volck das jauchzen
kan / (* das ist / so das fröliche Wort Gottes hat *)
Herr / sie werden im Licht deines Antli-
zes wandeln.** (Sie werden von dir erleuchtet / ge-
tröstet / für Finsterniß des Vertheils / und der Sünden
bewahret / im Licht der Wahrheit / und Gerechtigkeit
einher gehen / als Kinder des Lichts / und gelangen zum
Erbtheil der Heiligen im Licht. Joh. IIX. 12. c. XII. 35. Eph.
V. 8. 9. Col. I. 12.) **Sie werden über deinem
Nahmen** (im Erkantniß des Heils Luc. I. 77.) **täg-
lich frölich seyn / und in deiner Gerech-
tigkeit** (in der Gerechtigkeit des Glaubens / Rom. I. 17.
in der Gerechtigkeit Christi / der uns zur Gerechtigkeit
gemacht ist / 1. Cor. I. 30.) **herrlich seyn** (gerecht / und
ewig selig werden / Hab. II. 4. Ebr. X. 36. 38. 39.) In *Metaphra-
si Latina* è fontibus translata, & Paraphrasi, seu glossa mar-
ginali perpetua illustratâ, pariter adhuc ἀρεσκόμεναι, ita hæc
habentur, v. 16. *Beatitudines* (sunt) *populo*, qui novit clango-
rem (materiam habet gaudendi, & reapse gaudet in Domi-
no Phil. IV. 4.) *ô Jehovah, in lumine vultus tui ambulat* (in
Christo nobis omnis gratia obtingit Act. IV. 12.) v. 17. *In no-
mine tuo exultant totò die, & in iustitia tua* (quam habent
in Jesu Jer. XXIII. 6. Es. XLV. 24. seqq. Rom. XIV. 17.) *efferuntur*
(exaltantur ad æternam gloriam, Marc. XVIII. 16, Joh. III.

16. Rom. X. 9. 10. 13. vid. Ps. II. 12. Joël. II. 32.) Hieher gehöret auch / was H. Luth. über den IV. Psalm T. II. Alt. p. 569. schreibet: Es wird aber hieder Glaube wohl und recht genandt / **Das Licht Göttliches Antlizes** / darumb das der Glaube eine Erleuchtung ist unsers Herzens / vom Himmel herab gegeben / und ein Göttlicher Glanz in der Gläubigen Herz gegossen / dadurch geführet und erhalten werden alle / die da geführet und erhalten werden / wie in einem andern Psalm ausgedruckt ist. Ich wil dich unterweisen / und dir den Weg weisen / den du wandeln solst / Ich wil dich mit meinen Augen leiten. Und an einem andern Ort spricht der Prophet: Sie haben das Land nicht eingenommen / durch ihr Schwert / und ihr Arm halff ihnen nicht / sondern deine Rechte / dein Arm / und das Licht deines Angesichts / denn du hattest wol gefallen an ihnen. Und abermahl spricht Er: Herr sie werden im Licht deines Antlizes wandeln. Darumb freuet Er sich in einem andern Psalm / und spricht: **Der Herr ist mein Licht / und mein Heil / für wem / solt ich mich fürchten?**

Non potuit autem non concinere Jesuita Cardinalis Bellarminus comment. in h. l. *Beatus*, inquit, *populus*, qui scit *jubilationem*, id est, verè præ omnibus populis *felix est* *populus* *Israëliticus*; qui scit per notitiam & experientiam has laudes Dei, & scit *jubilare*, id est, magno affectu laudare Deum. Hinc intelligimus, non esse *beatum*, qui voce tantum Deum laudat, nisi etiam verè intelligat, & cogitet, Deum esse laude dignissimum, imò digniorem, quàm verbis exprimi possit, & ideo ad *jubilum cordis* recurrendum esse, dum utcunq; voce & cantu eum laudamus. Et porro. Domine in lumine vultus tui &c. Explicat, quare *beatus sit* *populus*, qui scit *jubilare*: quoniam, inquit, *homines* *ejus populi*, non ambulabunt in tenebris sicut gentes, qui

B

igno

ignorant Deum, sed conversi ad Deum in lumine vultus ejus ambulabunt viam hujus vite: significat autem lumen vultus Dei tum illuminationem intellectus per notitiam legis, & voluntatis Dei, tum etiam favorem gratie, quâ inflammatur affectus: lux enim illuminat & calefacit. Ex hac autem ambulatione in lumine vultus Dei, sequitur letitia bone conscientie, & gratiarum actio; & ideo in nomine Dei exultabunt totâ die, id est, jugiter exultabunt: Deum laudantes, & gratias agentes. Et quoniam qui ita ambulant, quotidie magis ac magis proficiunt, & ascendunt ad majorem Dei notitiam & amicitiam, & inde donis majoribus cumulantur, ideo addit, & injustitia tua exaltabuntur, id est, exaltabuntur ad majorem vite perfectionem, & postea ad gloriam sempiternam, in justitia Dei, qua servat promissa; sive in justitia, quam DEUS nobis donat, cum nos quotidie magis magisque justificat, i. e. justiores facit. Ubi admonemur, non in nostra scientia, aut viribus confidendum esse, sive cum incipimus ambulare, sive cum proficimus ambulantes: illud enim in lumine vultus tui, opponitur presumptioni de proprio lumine: & illud, in nomine tuo, opponitur vanae gloriationi de proprio nomine, & illud: in justitia tua, opponitur superbie Pharisæica, qui ignorantes justitiam Dei, propriam justitiam statuere volunt, & ideo justitie Dei non sunt subjecti. Quæ omnia si juxta analogiam fidei accipiantur, non incommoda sunt, nec à superioribus interpretationibus dissonant. Conf: a. hinc Bibl. Illustr. ad hunc Psalm. T. I. p. 1069. seqq.

Atq; hoc κέλευσμα Ethanis Prophetæ Regis Davidis Θεοπνεύστῳ hocce Jobelæo tertio semi seculari, Aug. Conf. & primo seculari Formulæ Concordiæ meritò cum celebratione nominis divini, gratâ mente, repetimus: Deo benignissimo gratias devotas persolventes ὁλοΰ ψόχῳ καὶ ὁλοκαρδίῳ, quod non tantum hanc doctrinam Evangelicam, de Christo Goële, ac Sospitatore nostro unico, illibatam hic conservare dignatus est per integros CLXIII. annos, à primo sc. æterni Evangelii, per Angelum per medium cœlum volitantem postliminiò restituti, tempore, Ap. XIV. 6. Sed etiâ jam nobis concedat pacata, & secura tempora, ut intra hanc Electoralem Academiam JUBILA in hoc quoq; tristiori, ob luctuosum Divi JOH. GEORGII II. obitum, tempore, cessantibus buccinis & tympanis, celebrare Nobis, à contagio pestis, quæ in præcipuis Electoralibus civitatibus mirum quantum grassatur, ita prorsus, immensâ ipsius gratia, immunibus, liceat panegyrim Doctorem instituire, ut etiam ex aliis terris ad nos sese conferat, qui hoc gradu condecorari desiderat.

Quod

Quod itaque benè feliciterque vortat, in
nomine JESU, auspiciis *Serenissimi, & Poten-*
tissimi Principis, ac Domini, Domini, JOHAN-
NIS GEORGII III. Ducis Saxonie, Julie, Cli-
via, & Montium, S. R. J. Archi-Marschalli, & E-
lectoris, Landgravii Thuringie, Marchionis
Misnie, & utriusque Lusatia, Burggravii Mag-
deburgensis, Comitis Marce, & Ravensbergi,
Domini in Ravenstein &c. &c. Domini ac Nu-
tritii clementissimi, fausto omine, ineuntis
Regiminis, cui Rex Regum, & Dominus Domi-
nantiū benedicat gratiosissime, ut pium, sit, for-
tunatum, pacificum, ad nominis divini glo-
riā, Ecclesiæ salutem, terrarum Saxonicarum,
& cum primis Electoralium, incrementum & ad
totius S. R. J. prosperitatem exoptatam! JO-
BELÆO hoc Academico, inque ipsa festivi-
tate JOBELÆA FORMULÆ CONCOR-
DIÆ, in Facultate Theologica, & cathedra
Megalandri D. MARTINI LUTHERI, in
hac Electorali Universitate VVittebergensi,
in solenni actu panegyrico, ad diem XI. No-
vembr. quæ D. MARTINO in fastis sacra est,
B 2 Gradus

Gradus & honores Doctorales, cum privile-
giis à D. Imperatoribus iisdem concessis so-
lemnitèr conferentur Quatuor SS. Theolo-
giæ Licentiatis præclarissimis, eo ordine, ex
more collocatis, quo nomina sua profes-
sunt Collegio nostro Theologico, *citra ullum*
Eruditionis, vel dignitatis præjudicium, Viris
nempè, Plurimùm Reverendis, Amplissimis,
Excellentissimis,

DN. L. JOHANNI MANITIO,
ELSTRALUSATO, ECCLESIE BELTICENSIS PASTO-
RI, ET TOTIUS DIOECESIOS ISTIUS SUPERINTEN-
DENTI.

DN. L. DAVID WENDLERO,
WITTEBERGENSI SAXONI, ECCLESIE KEMBERGEN-
SIS PASTORI, ET PRÆPOSITO, AC SUPERINTENDEN-
TI EJUSDEM DIOECESIOS.

DN. L. JOHANNI WOLFIO,
LOBEJUNA SAXONI, ECCLESIE WERNIGERODEN-
SIS AD D. SYLVESTRII ET GEORGII, PASTORI, NEC
NON COMITATUS STOLBERGENSIS IBIDEM SUPE-
RINTENDENTI, ET CONSISTORII ADSESSORI.

DN. L. FRANCISCO WOLFIO,
STRALSUNDIO-POMERANO, ECCLESIE ROSTO-
CHIENSIS PRIMARIE, IN ÆDE S. MARIE, PASTO-
RI, ET SS. THEOLOGIE IN ACADEMIA ROSTO-
CHIENSI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, DE-
SIGNATO.

Fiet

Fiet a. id Horis *matutinis*, in Templo Academico, quod omnium Sanctorum est.

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO,
EODEMQUE EX ORDINE PROMO-

TORE,

DN. D. JOHANNES ANDREA
QVENSTÄDIO,

SS. THEOL. P. P. ORD. NARIO, LONGE CELEBERRIMO, ET
ALUMNORUM ELECTORALIUM EPHORO PRÆC-
PUO.

PROCANCELLARIO DESIGNATO,

D. ABRAHAM CALOVIO.

AD QVAM SOLENNITATEM ACADEMIÆ MAGNI-
FICUM RECTOREM, GENEROSUM DN. JUDICEM AU-
LICUM, PRÆNOBILISSIMUM DN. TRIBUNUM PRO-
PUGNACULI ELECTORALIS DEFENSIONI PRÆFE-
CTUM, AMPLISSIMOS, ET EXCELLENTISSIMOS O-
MNIUM FACULTATUM PROFESSORES PUBLICOS,
HOSPITES ITEM, ET CIVES ACADEMICOS, OMNIUM
ORDINUM, HONORATISSIMOS, LECTISSIMOS, ob-
servanter, officiosè, ac amicè invito, cum promissione amœ-
bæ gratitudinis, precum, & studiorum, quæcunqve à me
proficisci possunt, paratissimorum.

Veneramur autem TRI-
UNUM DEUM universi, ut porrò
lumine vultus gratiæ Ecclesi-

B 3

am

am per Megalandrum LUTHE-
RUM restauratam respiciat,
eamq; adversus omnes machi-
nationes Satanæ, & organo-
rum ejus potenter defendat, ac
summum caput in orbe Chri-
stiano ad propagandum re-
gnum Christi, destruendum
regnum Antichristi, & Diaboli
excitet, & virtute ex alto in-
duat: Serenissimum in primis E-
lectorem nostrum, Principes
juventutis celsissimos, totamq;
Familiam Electoralem, & Du-
calem Saxoniam, utriusq; se-

XUS

xus, fospitet, & custodiat, Spiritu
Sapientiae, & timoris Domini
regat, terras ejusdem à lue pesti-
fera eripiat, Nosq; & Acade-
miam nostram ab ejus conta-
gio, & quibusvis aliis poenis,
quæ imminere videntur, dein-
ceps quoque, uti hætenus, gra-
tiosissime liberam ac tutam ef-
ficiat, inclutos Proceres, & col-
legia suprema, Statusq; Provin-
ciales Saxonicos gratiâ suâ diri-
gat, ut quæ salutaria, & ad Ec-
clesiæ, & Academiæ commodum
proficua sunt, ex animo
pro-

promoveant, quæ noxia, omnibus viribus avertant; Denique; ad consummationem seculi usq; depositum fidei coeleste illibatum, in pace, ac quiete, custodiat, & undiq; fulciat, & grata concedat halcyonia: quò nomen ejus gloriosum hic, & in omnem æternitatem celebremus, ac perpetua JUBILA, cum toto Electorum & S. Angelorum choro, cantemus.

GLORIA SIT SACRO-SANCTÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATI, PATRI FILIO ET SPIRITUI S. SICUT ERAT IN PRINCIPIO, ET NUNC, ET SEMPER, ET IN SECULA SECLORUM!

AMEN!

••(o)••

Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3
002 686 287




Sb,

VD17
Sep. 2000 Pd.







B.I.G.

Farbkarte #13



22

N. J.
CALOVIVS,
 BORUSSVS,
 OF. PUBL. PRIMA-
 CCLESIASTICI ADSESSOR
 Æ PAROCHIALIS, ET ELE-
 TENDENS GENERALIS,
 ESENTI
THEOLOGICÆ
ANVS,
MIS CIVIBVS
 MICIS,
 T SALUTEM,
 CORPORIS,
 PRECATUR.
 BERGÆ,
 NIS WILCKII.
 DC LXXX.

